


1/90

KALENDIS MARTIIS

MCMXC



RVMOR VARIVS



TOMVS 13

FASC.81

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKADIS editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans-	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!



Fortune plango vulnera stillantibus ocellis, quod sua michi munera subtrahit rebellis. verum est, quod legitur fronte capillata, sed plerumque sequitur occasio calvata.

In Fortune solio sederam elatus, prosperitatis vario flore coronatus; quicquid enim florui felix et beatus, nunc a summo corruì gloria privatus.

Fortune rota volvitur: descendo minoratus; alter in altum tollitur nimis exaltatus rex sedet in vertice - caveat ruinam! nam sub axe legimus Hecubam reginam.

(Carmina Burana, 16)

Non sine causa in principio primi libelli anni novi hanc imaginem praeclaram videtis, quae invenitur in prima pagina codicis Carminum Buranorum. Rotam Fortunae ostendit, quae semper volvitur, modo celerius, modo lentius, symbolum quasi inconstantiae varietatisque sortis rerum humanarum,

imprimis regnantium: Quattuor status sunt, quibus incidere possunt regnantes. Superiore in rota sedet homo regnans (inscriptione "regno"). Tum ex regno depulsus demonstratur de solio in profundum decidens (inscriptione "regnavi"). Ima sub rota ille depulsus iacet (inscriptione "sum sine regno"). Denique ad regnum ascensurus apparet (inscriptione "regnabo"). Hanc varietatem tempore novissimo multi gubernatores passi sunt. Imprimis in regione orientali Europae factae sunt res mira quadam celeritate, de quibus nemo ne somniavit quidem brevi tempore ante, et nunc quoque pergunt fieri. Etiam si rerum mutatione et novitate multae difficultates sint superandae, tamen his mutationibus occasio magna data est ad meliores reddendas res civium in illis civitatibus.

Sed in Helvetia quoque multa moveri coeperunt propter illas adnotationes a magistratibus clam descriptas ("Fichen" quae dicuntur) de civibus, qui nihil egerunt nisi suis iuribus civilibus usi sunt velut in democratia fieri solet. Sed quia de nonnullis rebus aliter sentiebant ac quidam regnantes, in suspicionem hostes rei publicae nostrae esse venerunt. Multi putantes in re publica nostra omnia multo meliora esse quam in aliis quibusdam civitatibus, nunc merito de "solio" superbiae deciderunt. Hic quoque multa erunt mutanda, patefacienda, perscrutanda, meliora reddenda.


Itaque rota volvante agendi occasio bona datur eis, qui ad necessaria mutanda parati sunt.

Speremus anno novo omnibus hominum studiis ad status rerum publicarum meliores et homines earum beatiore reddendos bonum eventum fore!

Valete!

D. Weiss

Daniel Weissmann



ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
1/89	20	AMICUS, SODALIS COLLEGII	AMICUS, SODALIS COLLEGII
2/89	44	Salve Gallene!	Salve Galene
5+6/89	112	die 10° mensis Novembris	die 12° mensis Novembris
	113	periodicis syndicati	periodicis syndicatūs
	124	de solutiones	de solutionibus
	130	in urbe Kiew	apud urbem Kiew



In memoriam Guarneri amici

Hodie nescio cur in mentem mihi venerit amicus ille, qui multis iam annis ante pisces capiens mortem obiit in lacu, qui nostro sermone "Walensee" vocatur. Saepe ad illum lacum ierat pisces captum, at illo die profectus est illuc necopinans se ultimum istam viam capere. Multos, immo vero innumerabiles pisces in illo lacu ceperat. Postremo autem ipse est esca factus piscium illius lacus, quos nimirum ceperat nondum. Namque illo infausto die in ripa sedens animoque sereno harundinem super aquam porrigens nausea

forsitan subita affectus et in aquam cadens mortuus est. Amicus ille, de quo narro, fervidus erat et piscator et venator. Quadraginta annis ante in universitate Turicensi incubuerat in studium theologiae et factus est confessionis evangelicae sacerdos. Postea autem, fiducia muneris sacerdotis amissa pisces capere vel plumbo cervos transfigurere (schiessen) maluit quam animos hominum piorum parare ad vitam aeternam.

Interdum me invitaverat, ut secum per silvas ambularem, sive quod vitam silvestrem me docere cuperet, sive ut sodalem aliquem secum haberet, qui peram (Rucksack) suam portaret, sive quod utraque causa eum commovisset.

Aliquando me oravit, ut se comitarer in silvam magnam, quae procul ab urbe Turico patet. Prima luce profecti sumus et una hora et dimidia post penetravimus illam silvam. Primo ambulabamus in longa, sinuosa et angusta semita muti, ut mos et calliditas videtur esse venatorum. Namque venatores si alta voce sermocinarentur, periculum esset, ne animalia silvae fugerent.

Sinistra parte semitae dumeta (Gebüsch) densa longe lateque patebant. Tum amico consilium in mentem venit et a me petivit, ut longo intervallo secederem ab se et post dumeta longo circuitu iter facerem ibique ululatum magnum tollerem, ita ut ferae, si quae ibi essent, excitatae per dumeta fugerent et amico meo occurrerent. Isto dolo adhibito sperabat se occasionem habiturum bestiae alicuius, gratisimum cervi transfigendi plumbo. Obeodivi nimirum amico, quippe qui esset venator peritissimus, ego contra venationis plane imperitus. Et abii procul post dumeta mille fere passus procedens, ibique ululare coepi. Cum autem aliquamdiu solus per loca invia ambularem neque iam scirem, ubi amicus esset, repente angor (Angst) animum meum occupavit dubitantem, num amicus forsitan per errorem bestiam sibi occurrere putans plumbum per dumeta in meam directionem missurus esset. Quo pavore captus clamorem sustuli et amicum vocavi orans, ut me appropinquante prudenter a plumbo mittendo abstineret. Sine mora amici vocem audivi me exhortantem, ut celerrime ad se reverterer. Metu liberatus me ad eum contuli et paulo post iterum in semita placiditer fecimus, amico fatente se errorem commisisse, quod a me petivisset, ut procul post dumeta abirem.

Alio die autumnali ad marginem alicuius silvae sedebamus spectantes super pratum et agros, qui late patebant, cum amicus: "Attentus et mutus sis", inquit, "et exspecta! Namque nunc imitaturus sum sonum merulae (Amsel) sibilantis, et paulo post videbimus leporem aliquem e silva prodeuntem." Ego interrogavi: "Quomodo praescire potes leporem proventurum?" Amicus respondit parva voce: "Quod lepus nimirum sono merulae allectus erit." - "Incredibile dictu" ego dixi subridens. Et amicus: "Non incredibile, sed certum est. Paululum exspecta, et videbis!" Et coepit sonum merulae sibilantis imitari, dum ego tranquillus iuxta sedeo. Re vera paulo post lepus e silva apparuit auribus arrectis et pedetemptim timideque agro appropinquavit. Amicus magno vultu me aspexit et triumphanter subrisit, ironice quaerens: "Videsne? Nonne recte praedixi?" At ego, qui mihi persuadere nequirem amicum sonum merulae imitando leporem allexisse, eum interrogare ausus sum: "Amice mi, nonne potuit fieri, ut lepus e silva proveniret, etiamsi tu merulae sonum imitatus non esses? Ego quidem cohaerentiam inter ea duo facta intellego nullam. Mihi potius est verisimile leporem casu apparuisse." Tum autem amicus: "Incredulus", inquit, "es ut erat quondam Thomas ille, quem memorat Novum Testamentum." Non dubito, quin amicus illo die incredulitatem meam plus minus moleste tulerit. Nam numquam iam postea me invitavit, ut ad venandum se comitarer.




Alio die Ruperto sodali nostro mihique dixit se postero die profecturum ad salmos lacustres (Forellen) capiendos et perendino die (übermorgen) nos, si placeret, posse venire domum suam salmone comensum. Placuit nobis et perendino die Rupertus egoque domum amici nostri nos contulimus. Ibi deinde fruebamur cena exquisita et copiosa, quippe quae ex decem fere salmonibus magnis constaret. Tum Rupertus, qui suspiciosior esset, de improvviso amicum interrogans: "Tu, felix et probe piscator", inquit, "ubinam tot salmone magnos capere tibi contigit?" Et amicus, tam necopinanter interrogatus paululum erubescens callideque subridens respondit: "Ruperte mi! Bene interrogasti. Callidior es quam te iudicaveram esse. Heri quidem piscatum profectus eram, sed piscem cepi nullum. Itaque tabernam, ubi pisces venum

dant, adii emptum. Hi pisces, quos bene vobis sapere confido, orti sunt omnes ab illa taberna. Cenate libenter!"

Emanuel Bernard



DE PARVO URSO MARINO (1)



(1) Anmerkung: ursus marinus : Eisbär

SOLUTIONES

De solutionibus rectis nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:

Andrea Amsler	Ursula Schwenk	Max Müller-de Vries
Kleinweid 8	Aehrenweg 13	Zürcherstrasse 10
6330 Cham	5430 Wettingen	4143 Dornach

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Rumoris Varii domus editoria



De homine omni scientia praedito

Aliquando rusticus pauper carru suo ligna in oppidum portavit. Quae viro docto et ditissimo recte vendidit. Negotiis gestis rusticus in caupona iterum in hominem doctum incidit. Qui cibum et potionem largiter capiens rustici invidiam movet. Rusticus: "Dic mihi, quaeso, quomodo vir doctus fiam. Velim enim scientia tibi similis esse." Vir doctus autem ridens: "Facile", inquit, "omnes scientia vincere poteris. Opus vero erit te consilia mea sequi." Rusticus: "Libentissime tibi parebo, domine; dic mihi modo, quid faciam." Tum vir doctus: "Primo opus est te librum ad usum discipulorum ludi litterarum scriptum emere. Deinde tibi consilium do, ut carrum tuum vendas et medici vestem induas. His rebus confectis ut supra ianuam tabulam figas verbis his ornatam: 'Vir omni scientia praeditus sum.'"


Rusticus viro docto magnas gratias egit celeriterque praecepta eius secutus est.

Paucis diebus post in villa viri cuiusdam magnum furtum factum est. Vir statim ad rusticum se contulit: "Fac", inquit, "ut pecunia rapta mihi reddatur! Vir omni scientia ornatus diceris. Facile raptum domi meae reperies." Rusticus: "Libenter te sequar, domine; uxor mea autem nos comitetur." Dominus hac re bene contentus statim cum hospitibus suis domum se confert. In triclinio cena lauta iam parata est. Inter cenam, cum famulus primus intraret, rusticus ad uxorem ordinem famulorum significans: "Hic", inquit, "primus erat." Famulus autem, qui in numero furum erat, metu captus triclinio celeriter exiit. Et famulos ceteros convocans: "Homo iste", inquit, "omnem rem detegit." Et iam famulus secundus intrare debuit. Tum rusticus ad uxorem: "Hic", inquit, "secundus erat." Famulus quoque timore perterritus triclinio exiit. Famulus tertius eadem fortuna usus est. Post cenam famuli rusticum seduxerunt: "Haud ignoramus", aiunt, "te omnia scire. Noli nos prodere! Tibi pecuniam raptam ostendemus et te magno praemio afficiemus." Rusticus re probata denuo in triclinium intrat. Famulus quartus, aequo fur, fornace se occultaverat. Dominus autem ad rusticum: "Dic mihi, amice, ubi pecuniam meam

reperiam?" Tum rusticus librum suum consulens: "Intus es", inquit, "et mox exhibis." Famulus autem, qui fornace se occultabat, celeriter exiit exclamans: "Vir ille sane omnia scit." Rusticus callidus viro diviti pecuniam raptam reddidit famulosque autem non prodidit. Qua re utrimque magnum praemium accepit et vir praeclarus factus est.

(Secundum fabulam Germanice scriptam fratrum Grimm).

Barbara Maier



Mostellaria

Multa nobis ignota inter caelum et terram evenire omnibus patet. Plurimi homines temporis nostri computatorum rebus tectis et occultis caeci sunt, sed quidam electi vates semper sunt.

Unus e talibus hominibus Albertus Carlen erat, qui multos per annos rector collegii Brigensis et postea praelatus episcopatus Sedunensis (Diözese Sitten) erat. Aliquot annis ante obscura iam nocte magna copia vini pota nobis trementibus haec narravit:

"Audite, cari amici, quid mihi iuveni sacerdoti evenerit. Orandi causa in ecclesia pervetere eram. Pietate incensum me fugit tenebras iam factas esse. Ob eam rem sacrista, qui senex admodum surdus erat, me includit ecclesiam vacuum esse ducens. Clamabam, portam labefactabam (rüttelte an), sed nemo nec auribus nec oculis me accipiebat. Ergo manifestum esse me non ante primam missam postridie liberatum iri putabam. Hieme erat et celerrime advesperavit. Igniaria (Zündhölzer) mihi non fumanti deerant, ut candelas accendere non possem. Mihi igitur nihil aliud restitit nisi fato meo cedere. Timidum et anxium me fuisse non nego, sed tamen obdormivi. Certe somnus me superare nequisset, si scissem, quid futurum esset. Quis umquam putavit ianuam,

qua ab umbris mortuorum separari solemus illa nocte fractam esse? Media nocte factum est: rauci postes sacrarii lente aperiebantur. Repente lux subcaerulea videri potuit. Venerabilis sacerdos, senex veste ad missam celebrandam apta indutus, intravit. Terror mihi incidit et cogitare vix quievi. Haec umbra calicem velo opertum manibus tenuit. Mihi videbatur is missam celebraturus esse. Profecto cunctans et altero pede claudus ad altaria accessit. Flexura genuum facta et calice in ara posito psalmum, quo missa incohari solita est, orare volebat. Sed minister, cuius munus sacerdoti respondere est, deerat. Sacerdos cum lacrimis circumspiciens ministrum manebat, sed frustra! Ergo homini misero nihil aliud reliquum fuit nisi ut calicem prehenderet et gemens suspiransque in sacrarium rediret. Porta clausa solus eram. Num somniavi? Paulisper moveri non audebam. Tremens lucem et sacristam exspectabam. Tandem liberatus sum sacrista nocturnum hospitem invitum valde mirante. Copiose se de socordia sua excusabat. Eo sedato cito domum meam redii, ut pranderem. Sed ea re valde sollicitus duobus diebus post denique veterem sacerdotem, qui mihi amicus erat, adii. Re mira narrata dixit: "Utinam illi sacerdoti minister fuisses!" - "Quid", inquam, "umbrae?" - "Scilicet" amicus respondit, "sacerdos noster aut culpa aut errore missam sibi celebrandam non celebravisse videtur. Igitur aeterna requie frui nequit, donec missam neglectam dixerit. Nudius tertius (vorgestern) solvi potuisset. Tibi nunc suadeo, ut hac nocte in ecclesia eadem sacerdotem exspectes. Fieri potest, ut iterum appareat. Tum tranquillo animo eum adiuva. Noli oblivisci: Forsan et haec olim meminisse iuvabit."

Orans et deliberans reliquum illius diei degebam. Crepusculo facto bono fere animo ecclesiam intravi. Sacrista me mente captum esse putavit versus Dantis poetae "Abicite, intrantes, omnem spem" murmurans. Postremo ei persuasi, ut portam clauderet, dicens: "Deus dabit his quoque finem (me iuvante). Ergo adsimus animae vexatae."

Salutis animae causa ergo sacerdotem exspectabam. Et ecce, media nocte eadem facta sunt ac nudius tertius. Cum sacerdos iterum ministrum quaereret, surrexi, ad eum processi genibusque nixus ei respondere coepi. Magna voce ille dixit: "In nomine patris et filii et spiritus sancti."

Statim respondi: "Amen." Et eo modo missa celebrabatur usque ad "Ite, missa est." Antequam e conspectu evolavit, sacerdos mihi dixit: "Maximas tibi gratias ago, mi amice. Hodie duas animas e purgatorio eripuisti: id est me et animas illius, cui hanc missam celebravi. Utinam Dominus noster te semper benedicat." Amabili modo me aspiciens apparere desiit. Laetus et hilaris eram sciens fortiter et christiane me gessisse. Et semper magno gaudio meum amicum luridum reminiscor. Vere praedictum est: haec meminisse iuvabit."

Gerd Dönni



Exemplum emissionis radiophonicae Latinae

In libello anteriore (5+6/89) RUMORIS VARIIS de emissionibus Latinis radiophoniae Finnicae (Oy Yleisradio) legere potuistis, quibus acta diurna in totum mundum diffunduntur. (Pro memoria: Longitudines undarum nostrarum regionum sunt: undae mediae: 558 et 963 kHz; undae longae: 254 kHz; undae breves: 6120 kHz. Tempora emissionum sunt: Die Dominico hora 23.20; die Lunae hora 8.50).

Ecce exemplum emissionis diei 10ⁱ mensis Novembris anni 1989ⁱ, quod nuper in "Nova acta diurna Turicensia" (Neue Zürcher Zeitung) publicatum est:

"Redactio scientifica et culturalis radiophoniae Finnicae generalis auditores ex urbe Helsinki salutatur.

Acta diurna:

In Finnia his temporibus de ciborum pretiis acriter disceptatum est, cum apud nos multo altiora sint quam in ceteris terris Europae occidentalis. Quidam dicunt causam esse, quod confectionem et distributionem alimentorum quaedam paucissima monopolia curent.

In Suecia animi civium libro a duobus viris doctis Hollandiensibus conscripto maxime perturbati sunt; dicunt enim familiam illustrissimam Suecicam Wollenberg cum nazistis commercium et relationes politicas frequentes habuisse.

Liber ille in Finnicum translatus etiam apud nos editus est.

Finni autem animum in duo itinera publica peregre suscipienda intenderunt: minister commercii exteri Pertti Salo-lainen iam in China est et sic primus vir politicus occidentalis est, qui post istam stragem aestate proxima Pekingii factam in Chinam profectus sit. Altera res, quam Finni reprobant, est, quod factio communistarum Finnica delegationem ad Romaniam mittet, quae terra anniversarium suum quadragesimum quintum sub dictatoris regimine celebrabit.

Mutationes in Democratica Re Publica Germanica politicae et sociales continuantur et quidem maxima velocitate. Administratione soluta factio unitatis socialistica, quae terram regit, iam nuntiavit in Germania orientali systema politicum plurium factionum nec non electiones liberas acceptum iri.

Res ad athleticam pertinens: alsulegiarius Sovieticus Igor Larionov, vir inter amatores huius ludi toto orbe notissimus, nuper librum scripsit, ubi narrat, quo modo res alsulegiariae Russorum clandestine et velut intra parietes agantur. Auctor operis imprimis exercitorem gregis nationalis Victorem Tichonow reprehendit.

Hi fuerunt nuntii nostri. Tempora mutantur, sed unum constat, scilicet Redactio Scientifica et Culturalis Radiophoniae Finnicae Generalis, quae novos nuntios proxima septimana ex urbe Helsinki emittet. In studio erat hodie Rejo Pitkäranta. Omnibus omnia fausta."

(NZZ vom 12.1.1990)

Nova facete lepideque dicta clericalia

(deprompta e libro, cui titulus "Heiter auf der Himmelsleiter", scripto a parochio Aloysio von Euw Morsacensi).

Insunt aeroplano parvo tres hospites: explorator (1), episcopus professorque academicus celeberrimus. Quibus laetis inter se sermocinantibus aeroplaniga ex improvviso: "Heus!" exclamat, "decasuri sumus! Sumamus decidicula (2). Sed - pro dolor! - tantummodo tria adsunt decidicula.

Quorum unum ego sumam, ut casum malum nostrum nuntiare possim!"

"Et ego", professor academicus respondit, "unum sumam, quod mihi multa et grandia facienda erunt." Qui una cum aeroplana desilit.

Tum episcopus exploratori "Mi fili", inquit, "longam post me habeo vitam, tu autem iuvenis adhuc es. Sume ergo ultimum decidiculum Deo adiuvante." - "Noli curare, eminentia!" explorator respondet, "Nobis sunt duo decidicula. Professor enim peram (3) meam pro decidiculo sumpsit!"

Rursus gravem post casum autocineticum (4) in valetudinario experrecto viro cuidam, num esset in caelo, interroganti, uxor: "Nullo modo, cor meum! Ego sum apud te!"

Inspicit Rosula parvula una cum parentibus telediurna (5), quae leguntur a Paulo Spahn, viro provecta iam aetate, sed sereno ac miti vultu. Rosula parentibus: "Nonne ille est Deus?" Parentes mirantes: "Cur putas eum esse Deum?" Tum Rosula: "Quod tam carus est et omnium peritus!"

Salutavit aliquando episcopus quidam vicum aditurus, ut sanctam confirmationem (6) largiretur, nonnullos infantes sibi occurrentes verbis his: "Salvete! Scitisne, quis hodie vos aditurus sit?" Qui obstupefacti tacuerunt nescii, quid responderent. Tandem episcopus anulum suum magnum ostentans "Quis talem anulum gerit?" quaesivit. Tunc Marcus parvus ridens: "Ii, qui maiores esse videri volunt quam sunt!"

* * *

De Elia propheta prophetisque Baalis daemonis vicarius infantibus narravit explicans Eliam aram consecrasset, rogum imposuisse, taurum mactasse et dividisse carnemque tauri ligno circumdedisse, postea quattuor urceas aqua impleri atque aquam super hostiam rogumque effundi iussisse. "Cur", vicarius rogat, "aquam super sacrificium effudit?" Puella digito levato: "Ut embamma (7) fieret!"

"At qui erant primi homines?" magister e discipulis sovieticis quaerit. - "Adam Evaque." - "Recte quidem. Sed quo ex populo oriundi erant Adam Evaque?" - "Russi scilicet

erant!" - "Unde hoc scis?" - "Facile dictu: Non habebant domum neque vestimenta neque, quo vescerentur, nisi malum unum. Tamen paradysum se incolere putabant."

"Num quid vastavit procella saeva?" parochus vici litoralis e regione montana domum regressus in statione ferroviaria vicinum interrogat. Ille: "Horribiliter saevivit procella. Domus mea plane diruta est!" - "Heus te miserum! Sed noli mirari, mi fili, iam diu te admonui, ut peccatis tuis abstineres. Nunc puniris!" - "Procella aedes tuas quoque delevit." - "O, viae domini non possunt perspici!"

In vico quodam Austriaco parochus "Multa et grandia", praedicat, "Dominus vobis iam profecit. Nunc tempus est, ut vos quoque aliquid boni Ei faciatis. Unusquisque vestrum ergo largiatur decimam reddituum (8) partem." Tum quidam praesentium his verbis tantopere commotus: "Non solum decimam partem largiamur, sed immo vicesimam!"

"Ecce magnam gratiam Deus tibi attribuit, domine sacristane (9), quod iam tot theologos claros audire tibi licuit", theologus quidam sacristano ecclesiae universitatis dicit. Cui ille: "Recte quidem. Sed maior iam est gratia, quod tot theologis auditis tamen in Deum credo!"

Martin Meier

VOCABULARIUM:

1 explorator, -oris m	Pfadfinder
2 decidiculum, -i n	Fallschirm
3 pera, -ae f	Rucksack
4 casus autocineticus, -us -i	Autounfall
5 telediurna, -orum n	Tagesschau
6 confirmatio, -onis f	(hoc loco:) Firmung
7 embamma, -atis n	Sauce
8 redditus, -uum m	Einkommen
9 sacristanus, -i m	Sigrist, Messmer, Sakristan



FABULAE OPERUM MUSICORUM

Orpheus et Eurydica

Orpheus, poeta Thracius, filius fuit Apollinis dei et Calliopae, quae erat Musa cantus perita. Ipse quoque tanta arte cecinisse dicitur, ut non solum bestias feras leniret, sed etiam saxa dura arboresque moveret. Cum uxor eius, pulcherrima Eurydica, ludens cum amicis per campos vagaretur, morsu serpentis in herba latentis tam graviter vulnerata est, ut moreretur. Orpheus mortuam coniugem deflevit atque etiam ab Iove deo petivit, ut dulcem uxorem ad se reverti pateretur. Cum Iuppiter responderet se mortuis reditum in terram concedere non posse, quod mortui in potestate Plutonis dei essent, Orpheus ad inferos descendere ausus est, ut uxorem reduceret. Forti animo regnum umbrarum ingressus ad carmina nervos citharae tam dulciter movebat, ut umbrae tenues mortuorum adirent et cantu commotae flerent laborumque obliviscerentur. Cerberus ipse immanis, custos ille triceps Tartari, quievit neque tribus faucibus poetam terruit.

Sic Orpheus ad regem inferorum pervenit, cuius animum his verbis lenire conatus est: "Non huc descendi, ut tua regna viderem, sed uxoris causa, quam mihi sors iniqua abstulit. Quoniam sine ea vivere non possum, aut eam mihi redde, aut, si fata negant eam mecum in terram reverti, patere me quoque hic manere, ne ab uxore amata absim." Cum etiam Proserpina, regia coniunx, cantu maxime commota Orpheo adesset et Plutonem imploravit, ut Eurydicam marito redderet, Orpheus eam ea condicione recepit, ne ad illam respiceret, priusquam ad lucem solis pervenisset.

Laetissimo animo Orpheus uxorem, quae eum sequebatur, reduxit neque iam a luce solis procul aberant, cum Orpheus nimio desiderio Eurydicae videndae captus restitit et respexit. Statim illa iterum moriens in Tartarum relapsa est et frustra Orpheus eam in Tartarum redeuntem amplecti conatus est. Orpheus festinans eam sequi conatus est, sed Charon portitor recusavit poetam navigio suo Stygem fluvium transire. Septem dies noctesque Orpheus querens et implo-

rans apud ripas fluminis erravit, sed ne arte sua quidem aditum ad inferos iterum assecutus est. Solus in terram revertit et multum tempus non iam canebat, sed per silvas et montes solitarius migrabat. Aliquanto post denuo canere coepit, sed nihil nisi cantus lugubres.

Aliquando, cum Orpheus in colle sedens sua carmina tristia canebat, subito manus mulierum bacchantium et furentium, quibus odio erat, quod in festis lascivis earum in dei Dionysi honorem canere noluerat, in poetam ruit, eum occidit laceravitque. Tota rerum natura et omnia animalia poetam mortuum deflebant. Ipse ad Eurydicam uxorem in Elysium ductus est. Lyram autem eius di in numerum siderum caeli transtulerunt, ubi usque ad nostra tempora claris noctibus observari potest.

Multi componistae ex hac fabula dramata musica composuerunt, ex quibus duo exempla maxime nota sint commemorata haec: Drama titulo "Orfeo" a Claudio Monteverdi (1567 in urbe Cremona - 1643 in urbe Venezia) die 22^o anni 1607¹ in urbe Mantova primum in publicum editum est. In fine huius dramatis Orpheus per agros Thracios errans ab Apolline deo in numerum siderum transfertur.

In dramate titulo "Orpheus et Eurydica" a Christophore Willibald Gluck (1714 in vico Erasbach bei Berching - 1787 in urbe Wien) composito et die 5^o mensis Octobris anni 1762¹ primum in publicum edito eventus est laetus: Cum Orpheus ipse mortem sibi asciscere conatur, Eros deus ei siccam eripit. Dei miserentes Orphei Eurydicae vitam reddunt et eam cum marito in templo Erotis dei coniungunt.

Daniel Weissmann



Cantemus, o amici!

HESTERNO DIE (YESTERDAY)

Libello proximo RUMORIS VARIII versionem clarissimi cantus "Beatles" a domina Hanna Haas-Scheibler compositam publicavimus. Cum in tertia stropha textus Latinus multo a texto Anglice discreparet, eum mutavimus, ut ambo textus consentirent. Etiam pro "hesterno" "hesterno die" scripsimus. Domina Hanna nos certiores fecit hanc versionem mutatam cani non posse et se textum verbum pro verbo reddere noluisse. Praeterea mendum in ultimam stropham irrepsit: "hesterna", non "hesterno die" imprimi debuit. Harum mendarum veniam petimus et precibus dominae Hannae, ut suam versionem publicemus, libenter obsequimur.

Hesterno
curae longe a me aberant,
at ex hodie me non deserent:
in diem credo hesternum.

Subito
non iam is sum qualis antea,
animum obumbrant nubilia,
hesterna novi
subito.

Illa non iam vult,
nihil dixit,
abiit.
Ego tacui, nunc
desidero hesterna.

Hesterna
mi solebant arridere,
sed nunc cupio latere
in diem credo hesternum.

European Language Institute (ELI), Recanati (Italia)

LATINE LOQUI – ROMANE COQUERE

LATINITATEM INTER NATIONES

Secunda Septimana Latina Amoeneburgensis

moderatores	: Mechtildis Hofmann et Robertus Maier
quando ?	: a die 12 ^o usque ad diem 18 ^o mensis Augusti anno 1990 ^o
ubi ?	: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-3572 Amöneburg (Amoeneburgum apud Marburgum)
pretium	: 300.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum erit 25), 90.- DM pro institutione (includitur pretium pro duabus cenis Romanis' et pro excursione)

Inscriptiones ad hanc Septimanam Latinam petuntur usque ad diem 15^o mensis Iunii ad:

Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-6070 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores ad secundam Septimanam Latinam Amoeneburgensem invitamus. Discite Latine loqui. Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimendas tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam res coquinarias Romanas colemus, ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras! Si plus scire voletis, telephona ad: Robert Maier, tel. 06103-71652

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

**SEMINARIA «LATINITATIS VIVAE» ANNO 1990^o FVTVRA
MORSACENSE ET VESTENDENSE**

49. Morsacī [Morschach] in Helvētiā, qui locus saluberrimus ali-
quibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pago-
rum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt
maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes
circumiacentes praebetur. 22.-28.7.1990.

50. Vestendēse [Westende] in Belgicā (ad litus maris harenōsum),
ubi pernoctatio victusque in hospitio communi, relative par-
vo constant: 10.-17.8.1990.

Sunt autem seminaria sermonis Latini et adhibendi et exercendi
et ampliandi, quae institutio quaeve exercitationes bonā Latini-
tate antiquā nituntur et neologismis, quantum necessarium fuerit,
optime comprobatis (secundum antiquitatis normas vere Latinas).
His seminariis Dr P. C. Eichenseer denuo moderabitur.

Antemeridianis horis (ternis) fient colloquiorum exercitationes
et explicationes verborum (recentiorum) et modorum Latine cogi-
tandi et disceptationes. Disseretur etiam, quā ratione Latinita-
ti bene conveniente, antiqua recentioraque satis congruenter in-
ter se coniungantur resque recentissimae satis Latine verbis
(circumspecte cōndītis vel condendis) exprimantur quidve valeat
analogiā.

Postmeridianis horis (binis) fient exercitationes grammaticales
et repetitiones materiarum ante meridiem propositarum vel occa-
siones praebebuntur propositionum et disputationum vel exercitio-
rum Latine docendi, quae res agetur etiam in circulis minoribus
(diversis), ubi singulis frequentior occasio sit Latine loquendi.

Denique cottidie ab hōrā duodēvicesimā, id est: post institutio-
nem postmeridianam, per quadrantem horae phōnētīcē Latina tractā-
bitur, cuius tractationis participatio omnino libera est.

Denique pro ipsa institutione unius septimanae 120 marcae Germa-
nicae (occidentales) solvendae sunt, quae pecuniae summa mittat-
ur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA
18353-661
Postgiroamt Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Mörsacēnsē seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant
epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive,
si tardissime, sex septimanis ante initium,
ad Ericam Roth
Aeschistr. 6 (numerus telephonicus:
CH-3110 Münsingen 031/920823)

Vestēndēnsē seminarium Belgicum qui volunt participare ratione
epistulari vel telephonicā adeant satis mature
D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:
M. Docteur Guy Licoppe
Avenue de Tervueren, 76 (numerus telephonicus:
B-1040 Bruxelles 4 (02) 735 04 08)

SOCIETAS LATINA

SVENOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVENOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitten-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

1/90

KALENDIS MARTIIS

MCMXC



RVMOR VARIVS



TOMVS 13

FASC.81